



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Caput VI. De injuria & restitutione ratione stupri & adulterii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

CAPUT V.

*De injuria, & restitutione ratione stupri,
& adulterij.*

STuprum variè accipitur apud Authores. 1. Latius accipitur pro omni illicita violatione feminæ, etsi foret vidua. 2. Strictè sumitur pro corruptione virginis extra matrimonium. 3. Strictius pro violentia virgini illata. Hic agemus de stupro in 1. & 3. acceptione sumpto.

§. 1. De restitutione ratione stupri.

1. **A**D quid tenetur stuprator virginis, si non promisit ei matrimonium?
2. Si corrumpit virginem ultrò se offerentem, aut leviter rogatam, & consentientem, non tenetur ei in conscientia, vel patri restituere; quia dum spontè consentit, censetur puella, quæ habet dominium integritatis corporis quoad usum, omnem aliàs debitam restitutionem remittere.

Nec refert, quòd parentes ob stuprum debeant suæ filiæ dotem longè majorem, quia potest filia manere innupta: deinde quando consentit in sui deflorationem, censetur cedere juri suo, quod potest habere ad nuptias statui integro convenientes.

2. An, qui Virginem ultrò consentientem corrumpit, non teneatur saltem ad restituendum patri, & ejus familiæ honorem ablatum?

2. Cùm patri tum à corrupta filia, tum à stupratore non exigua inferatur injuria, uterque videtur secundùm rigorem justitiæ obligari ad aliquam satisfactionem patri præstandam, non quidem in bonis fortunæ, sed vel per veniæ petitionem, vel per aliam honoris exhibitionem, nisi pater remittat.
3. Ad quid tenetur stuprator virginis, qui vi, vel fraude usuram corporis extorsit, etsi absque promissione?
2. Vel tenetur eam sibi matrimonio copulare, vel damnum reparare. Ratio est, quia tunc damnum per injuriam illatum est, ergò debet reparari: hoc autem fiet vel matrimonio, vel damni æstimatione.
4. An casu, quo deflorator eam non ducit in uxorem, teneatur ad dandam ei dotem integram?
2. In foro conscientiæ, & ante condemnationem non esse obligationem dandi supra dotem, quam aliàs à patre, vel aliunde haberet, addere quantum sufficit, ut possit æquè benè nubere, sicut antea: hoc enim modo reducitur ad æqualitatem damnum illatum.
5. Quid si stuprator non adhibuerit vim, vel dolum, sed importunis precibus, vehementissimis blanditiis, & persuasionibus induxerit virginem ad consensum?
2. Tenetur ad restitutionem, quia virgo est aliquo modo coacta, & seducta. Sollicitationes vehementes istæ sunt, in quibus ipsa virgo

repugnans incipit oblectari per amplexus, & oscula, & tactus impudicos, per quæ omnia virgo valdè afficitur, & tandem admittit stuprum.

Ratio hujus est, quia moraliter loquendo non potest se defendere, opus enim habet heroicâ virtute, ut vincat talem tentationem.

6. Ad quam restitutionem obligatur stuprator, si sit valdè dives, & virgo valdè pauper?

R. Tenebitur judicio prudentum ad aliquam restitutionem faciendam in pecunia pro dote, vel parte dotis, etiamsi voluntariè admiserit stuprum, ut docet Bannes, quia inter similes personas implicitum aliquod pactum intervenisse credendum est, quo meritò judicant, & humanam habent fiduciam, quòd dotabuntur, sicut solent facere alii veri similes.

7. Ad quid tenetur, qui stupravit virginem promisso matrimonio?

R. Si virginem renitentem sub spe matrimonii corruperit, tenetur eam ducere, non vi promissionis, quæ facta est ob turpem causam, sed ratione doli, quia aliàs puella foret graviter decepta, & ingens damnum pateretur ex fraude corruptoris, promissis stare renuentis: & licèt promissiones ob turpem causam nihil roboris habeant jure naturæ, tamen jure gentium, & consuetudine populorum vim, & valorem obtinent.

Excipe à resolutione generali quosdam Casus particulares.

1. Si sint in statu, & vitæ conditione dispares, ut vir quidam sit illustris, vel nobilis, aut officio, vel dignitate conspicuus; femina verò sit vel rustici hominis, vel opificis filia, vel ancilla. Ratio est, quia femina non potest conqueri se esse deceptam, cum facilè potuerit intelligere promissionem talem non fieri ex animo, præstitam ab homine adeò excedente statum vi-
lioris personæ.
2. Si ex aliis conjecturis, ut ex ambiguitate verborum, ex inconstanti sermone, ex nimis exaggerationibus puella poterat deprehendere fictionem; quia si fraudem potuit advertere, non præsumitur decepta.
3. Si dicenti se virginem promisit nuptias, ut eâ potiretur, & tamen deprehendit non esse virginem, quia tunc ipsa virum decepit.
4. Quando vir est paratus ad ducendam illam, quam violavit, sed ipsa, vel ejus parentes repugnant, an vir teneatur aliter satisfacere?
5. Neg. Quia ipse non se obligavit disjunctim ad matrimonium, vel ad dotem dandam, sed ad matrimonium determinatè; ergo si hoc sinè sua culpa impeditur, non tenetur ad illud, nec ad aliquid aliud, quia ad istud se non obligavit.

CASUS XI.

Femina quadam injustè violata estimabatur communiter virgo, non tamen erat talis: an violator injustus teneatur ad eamdem restitutionem faciendam, ac si fuisset virgo?

R. Vel copula fuit occulta, ex qua nulla fuit infamia, vel aliud damnum consecutum, & ad nihil tenetur, quia tunc nulla est obligatio restitutionis ex injuria, quando ex illa nullum relinquitur damnum: vel copula fuit nota, & inde infamia secuta, aut difficultas major ad nuptias, & tum restitutio aliqua facienda est pro qualitate damni, & læsionis.

C A S U S XII.

Antonius novit Catharinam esse corruptam, nihilominus ei promittit matrimonium, ut ejus fruatur corpore, uterque est paris conditionis, Queritur, an teneatur eam ducere?

R. Si verè, & ex animo se obligandi promittat, non videtur esse dubium, quin obligetur propter dolum; si verò fictè promittat, existimo probabiliter eum non obligari, si non timetur infamia: non enim tenetur ad matrimonium ratione promissionis, utpote quæ nulla fuit, & non tanti æstimatur copula cum corrupta, ut matrimonio debeat compensari, non ratione damni, cum nullum, ut suppono, secutum sit; solum ergò tenetur judicio prudentis compensare copulam, per talem injuriam obtentam,

§. 2. *De restitutione ratione adulterij.*

1. **A**D quid tenetur adulter secuto partu?

R. Tenetur ad reparationem omnis damni illati marito adulteræ, proli legitimæ, aut hæredibus legitimis. Damna, quæ tenetur reparare adulter, numerantur, 1. Expensæ, quæ fiunt

fiunt ad alendam prolem illegitimam, computando ab anno tertio expleto. 2. Quòd proles illegitima fiat hæres bonorum mariti in totum, vel in partem. 3. Quòd accipiat dotem in ordine ad matrimonium, statum Religiosum &c. 4. Quòd fiant expensæ, ut altioribus studeat scientiis, ut promoveatur ad officium &c.

2. Quid faciet adultera, dum adulter deficit in reparatione damni?

R. Teneatur, quantum possibile est, allaborare, ne proles legitima patiatur damnum: undè si habeat bona suæ liberæ dispositioni relicta, vel possit aliquid lucrari ex proprio labore non debito familiæ, indè, aut alio modo teneatur providere legitimæ proli. Suaviter poterit inducere spurium, non tamen importunè cogere, ad suscipiendum certum vitæ genus, quod paucis expensis amplecti potest.

CASUS XIII.

Adultera prædictis modis non potuit avertere damnum legitimæ proli, morti vicina convocat utramque prolem, legitimam, & illegitimam, & ita affatur: Filij mei, ut satisfaciam conscientiam meam, declaro unum ex vobis esse spurium, vultisne vobis manifestari: Queritur, an adultera benè fecerit?

R. Peccavit ex duplici capite: 1. Quia sic prolem legitimam infamavit, in quantum eam reddidit suspectam illegitimitatis. 2. Quia incussit proli legitimæ gravem metum injustum, ratione cujus renuntiavit juri, quod habebat ad pinguiorem hæreditatem.

202 TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.
CASUS XIV.

Adultera filium illegitimum supposuit tamquam legitimum, adultero non suadente, imò fortè eam deterrente, an adulter in tali casu teneatur restituere partem hereditatis, quam cernit filium illegitimum cum aliis legitimis habuisse?

R. Si id factum fuerit communi consilio, non est, qui dubitat, quin uterque teneatur ad restitutionem omnium damnorum pro rata æquè primo: Si autem adulter non suaserit, neque consenserit, ut proles illegitima supponeretur tamquam legitima, non est dubium, quin adhuc teneatur ad alimenta proles illegitimæ post triennium, cum hæc proli debeantur, donec possit sibi alimenta conquirere: quoad alia verò damna, quæ nascuntur ex suppositione, plurimi existimant, etiam ad hæc eum teneri, sed existimo id solùm verificari, quando suppositio proles non potuit commodè evitari, vel adulter non adhibuit sufficientem diligentiam ad evitandum: aliàs enim si suppositio proles illegitimæ potuerit commodè evitari, & in hoc studiosè incubuerit adulter, non video, quâ ratione adulter suscipere debeat illa onera, quia non sunt illi voluntaria, & qui, ut non accideret, de contingentibus nihil omisit: proinde si adultera procurâisset sibi abortum, non censeretur adulter causâ homicidii, nisi fortè suâisset, vel adjuvisset; ergo similiter; par enim est ratio utriusque.

CASUS XV.

Duo conjugati, aut duo soluti uno, eodemque die

eam-

eamdem cognoverunt feminam, non sunt conjecturæ rationis, ad præsumendum magis esse prolem unius, quàm alterius, nudè est æquale dubium, uter sit pater: Queritur, à quo debeat accipere alimenta?

R. Uterque debet ex parte concurrere ad alimenta, quia certum est, esse alterius filium. Ratio est, quòd filius jure naturæ habeat actionem adversus patrem, ut sibi alimenta præbeantur; cum ergo constet illum esse genitum ab uno illorum, & determinatè sciri non possit, uter sit ejus pater, nè talis actio, & debitum inutile reddatur, inter utrumque debet dividi.

CASUS XVI.

Quid faciendum cum illo in Casu restitutionis, qui dicit: Dubito, an ex copula, quam habui cum uxore alterius, nata sit proles, & tamen post copulam nata est proles, sed dubitat, utrùm sua sit, an teneatur ad aliquam restitutionem?

R. Quòd teneatur ad damni restitutionem pro ratione dubii. Ratio est, quia aliàs melior foret conditio nocentis, quàm innocentis, quia maritus adulteræ est innocens, & tamen deberet subire periculum alendi fortè alterius prolem. Quòd autem adulter secundùm hanc sententiam illud onus debeat subire, imputet suo delicto.

CAPUT VI.

De damno in corpus per mutilationem, & homicidium.

HOc præcepto. *Non occides*, prohibetur sola, & omnis occisio hominis, quæ fit auctori-
rate